

nitatem sit futurus: vel etiam extra eam, ἰσχυρῶς
ἐπινοίας, ut Damascenus loquitur, cogitari vel
possit vel debeat.

III. VIS VIVIFICANDI.

125. Vim vivificandi carni CHRISTI commu-
nicatam esse, longiore probatione minimè indige-
re existimamus: Siquidem hoc qui negare ausus
fuerit: eum ipsi Servatori Christo, hanc vim car-
ni suæ capite Iohannis 6. aliquoties διαρρηδην ad-
scribenti, dicam scribere manifestum est.

V. CULTVS ADORA- TIONIS.

126. Tandem humanæ CHRISTI naturæ,
non quidem in abstracto, per se, in se, vel secundum
se, simpliciter, & sine respectu Vnionis hypostati-
cæ consideratæ, multò minus seorsim positæ (seor-
sim enim nunquam existit) & à Divinitate se-
junctæ: uti Sacramentarij rursus falsò nos insi-
mulant: sed in Vnionem illa, & respectu communica-
tæ divinæ gloriæ atque Majestatis consideratæ,
cultum adorationis exhibitum & fuisse, & exhi-
bendum esse credimus ac confitemur.

127. Evincit hoc scriptura monens, in nomine
Iesu flectendum esse omne genu: ostendens etiam
homines Christum, qua homo est, adorasse & ado-

T

ratu-